

DE <sup>927. num. 38. A. 20. 27.</sup>

10  
**POSSESSIONIS TVR-  
BATIONE VERBIS VEL  
SCRIPTIS FACTA**

PRAESIDE

<sup>1730</sup> <sup>234</sup>  
**GODOFREDO LVDOVICO  
MENCKEN, JCTO**

PANDECTAR. PROFESS. PVBL. CVRIAE PROVIN-  
CIALIS SCABINATVS, CONSIST. ECCLESIASTICI  
ET FACVLT. JVRID. NEC NON JVDICII DVCALIS  
IN MARCHIONATV LVSAT. INFERIORIS  
ASSESSORE ETC.

222  
IN *ACADEMIA VITEMBERGENSI*

**PRO LICENTIA**

**SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES  
AC PRIVILEGIA CAPESSENDI**

**D. X. CAL. OCTOBR. M DCC XXX.**


H. L. Q. C.

DISPVTABIT

**CHRISTIANVS GOTTLIEB SPENGLER**

**BVDISSA - LVSAT.**

*VITEMBERGÆ, EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.*



4

DE  
POSSESSIONIS TVR  
BATIONE VERBIS VEL  
SCRIP TIS FACTA

PRÆSIDI  
GODOFRIDO IYDOVICO  
MENCKEN. ICTO

IN MARITIMIS ET ALIIS PARTIBUS  
ET FACULTATIBUS NON IUDICANDIS  
GALIS SEPTIMATIS CONSIST. BOG. IASITICI  
PANDICTAR. PROFESS. PVBI. CIVILIS. PROVIN.

IN ACADEMIA  
PRO LICENTIA  
SVMOS IN VTRIQVE IURE HONORES  
AD PRIVILEGIUM CAPSSENDI

D. X. CAL. OCTOB. M DCC LXX  
H. L. G.  
DISPV. TIT.  
CHRISTIANVS GOTTLEB SPINGLER  
BVDISSA. I. V. S. A.

Printed at the University of Schönmachina.






DE

## POSSESSIONIS TVRBATIONE VERBIS VEL SCRIPTIS FACTA.

I.



Hema propositum pertracturis  
mentis maxime nostræ intentio-  
nem, ut clariorem faciamus, vel  
ideo incumbit, ne verba captare  
eorumque diversum, quem vel  
legis argumenta, vel Doctorum  
singulares subministrant opinio-  
nes, sensum volentibus ansam dubitandi vel demus  
vel relinquamus. Ideo rubri vocabula secundum  
genuinam veramque suam interpretationem expli-  
cabitur, licet alias illa nos supersedere facile pos-  
se credamus. An, secundum Labeonem, possessio-  
nis nomen a *pedibus* veniat, & quasi pedum sit positio  
L. 1. pr. ff. d. acqu. vel am. poss. utrum a *posse* &  
*sedere* ut **ALCIAT. L. 1. Parerg. C. 1.** vulc, inquirere  
non attiner, si, quæ illa sit? modo intelligas. Conf. *Aug.*  
A STRAVCH.

DE POSSESSIONIS TURBATIONE

STRAUCH. *Diff. de Possessore* *ib. l. 1.* Possessionem eam appellamus, quam quis corpore animoque sibi habendi tener. *L. l. pr. L. 19. §. 1. ff. d. acqu. vel. am. poss. L. 20. C. eod.* Et sic illam Juris in re speciem, quæ dominio contradistincta est, asserimus. *Dis- sent: SVMMERMANN. in l. Pandect. part. L. l. T. s. p. 262. & 254.* Quantum enim labantur uno dominio omnes Juris in Re species exprimentes ac ipsi includentes, vel inde apparet, quod animum sibi habendi, cum proprietate, perperam confundant & possessorem toto coelo a Domino discrepantem eandem effingant personam. Cum tamen Dominus non possessor, & possessor non Dominus esse queat, soleatque, & qui in possessorio vicit in petitorio non raro succumbat. Ipsa judicia possessoria Interdictorum materia a Domini Jure est alienissima. *L. 14. in f. ff. de except. rei judic. L. 12. §. 1. ff. d. acqu. l. am. poss. Pr. J. in f. d. Interd. Ad. PAGENSTECH. L. 4. apbor. 48. & 109.* Imo in ipsa Rei vindicatione adversarii possessio præprimis alleganda & probanda est, *L. 9. ff. d. R. V. L. 1. §. 8. ff. uti possid. quod disparitatem domini & possessionem facile commonstrat.*

II.  
Verum, cum & in possessione esse queat animum sibi asserendi possessionem, neutiquam habens, & exinde apparet, possidere, & Dominum esse, multum



VERBIS VEL SCRIPTIS FACTA. 1

tum differre. Imo vere loquendo, illi, qui in possessione rei sunt, iis, qui possidere in lege dicuntur, veniunt contradistinguendi. Quod illis scribimus, qui detentionem a possessione non secernunt, & animo sibi possessionem adstruendi rem tenentes pro possessoribus falso agnoscunt. Cum tamen jure tales non mereantur dici. Nota est, quæ in modo & forma se exerit, possessionis, nec minus quæ inter naturalem & civilem intercedit, differentia. Utraque in jure sat radicata. Si formam intuearis, in naturali quis esse potest possessio, qui tamen verus non est possessor, qualia exempla *L. f. ff. uti possid. L. 22. §. 1. ff. d. noxal. act. L. 12. L. 44. ff. de acquir. vel amit. Poss.* suppeditat, & tales ratione modi civiliter in possessione esse reputantur. Contra ea, in possessione esse nequit & nihilofecius, si modum formamque attendas, civilis possessor est. *L. 10. C. d. acquir. & retin. poss.* Debent hoc, civilis juris beneficio, quo adjuvantur, possessionem corpore relinquentes & animo retinentes. Add. *V. d. d. trit. ZASIVS in L. 2. ff. de orig. jur. §. 7. verbo adjectit, ubi accursum ad L. 4. C. de acquir. & retin. poss. Azonem sequentem unam possessionem, quæ corpore & animo acquiritur & civilem inde, quod per jus adprobaretur, refellit.* Quamvis & in possessione sua remanentes aliis in eandem receptis vel una admittis sibi possessionem mere servant, detinendi jure reliquis relicto tributoque. Breviter Possessores a Detentoribus in eo differunt, quod illi sibi rem habe-

817

A 2

ant

ant vel retineant absentes, hi alio ex jure in possessione constituantur, quali conductores, aut pignoratitii Creditores traditionis titulo potiuntur. Sicque in possessione esse & possidere in lege multum differt. *L. 10. pr. & S. 2. j. l. II. ff. d. acqu. vel am. pass. L. 1. C. comm. d. usuc. L. 2. C. d. prescript. 30. vel 40. ann. L. 9. in f. ff. d. R. V. L. 16. ff. d. per. & comm. rsi vend.*

## III.

**H**æc bonorum possessio sive cœpta, sive tributa concessaque multum discriminis olim involvebat, cum bona Provinciæ, quæ devincta dicebatur bello vel deditioe Regio, eo ipso, quo a Magistratus Romani gubernatione tanquam fundi solique proprietario dependebat, conf. *THYSIVS ad Vellej. Patercul. Histor. Rom. L. 2. c. III. verb. remissa sorte provinciæ in not.* a possessoribus, vel accuratius loquendo, detentoribus, nec mancipatione abalienari, nec usucapi, secundum jus quod Italiæ proprium, poterant. Alia autem ratione ex Quiritum Jure non transibat Dominium. *L. un. C. de Usucap. transf. j. pr. J. de Usucap. j. S. 40. J. de rer. divis.* Armis itaque a Romanis victi populi agros suos belli jure cedere occupantibus cogebantur, hacque ratione agri publici Romani populi proprii efficiebantur. *L. 20. S. 1. ff. de captiv. & postlim.* Vocabulum *publicari*, quod hac in lege occurrit, non idem notat, quod publicare præscribere, evulgare, *L. 41. ff. ad L. aquil. cum hæc verba*

verba ad præconem proclamantem & rem publice veno-  
 exponentem quadrent, *RAEVARD. de Juris ambigui-  
 tat. L. 5. c. 18.* *BORRICH. Ant. Urb. Rom. Fac. c. 13. §. 4.*  
 fed potius ager ex hostibus captus publicari dicitur, qui  
 publicus populi Romani fit. *L. 23. §. 2. ff. de serv.  
 rustic. L. 27. §. 11. ff. ad L. Jul. de adult.* Publicatis ita-  
 que sic captis agris, superati provinciales usum mo-  
 do & detentionem eorum consequabantur stipendi-  
 um tributumve populo vel principi solvere pro  
 concessione obstricti. *THEOPHIL. ad §. 40. f. de  
 rer. divis.* *BRISSON. Sel. jur. antiqu. L. 4. C. 1.* Utrique  
 cum ab initio transferri non potuerit illorum bono-  
 rum dominium, quod ex mutatione illius juris con-  
 jicitur, §. 40. f. de rer. divis. j. L. un. C. de usucap. ubi sti-  
 pendiaria ac tributaria bona non minus, quam Italica,  
 titulo legitimo transferre permittitur. Quare victi pro-  
 vinciales, deperdito suorum agrorum fundorumque  
 dominio, non nisi meri olim erant detentores, ex  
 jure suorum dominorum facultatem nanciscentes con-  
 tra tertium, non dominum, in usu concesso turban-  
 tem, se usucapione defendendi.

IV.

**L**itis super possessione motæ cognitio ad Prato-  
 rem, tanquam competentem, pertinebat Judicem,  
 qui suo officio per verba: *Do, dico, addico* defungens,  
 in possessorio hoc judicio tantum *dicendo* decernebat,  
 quis ex colligatoribus, usque dum principalis propieta-  
 tis causa apud pedaneum Judicem, quem mox dare so-  
 lebat,

lebat, dijudicari posset, pro possessore, consequenter, quis pro actore & reo agnosci deberet. Vnde interdictum tale non male interlocutoria *a. l. 3. §. fin. ff. de lib. exb.* Prætoris sententia potest nominari, qua possessor temporarius declaratur, a iudice dominii causam pertractante, pro illo agnoscendus. *CVIAC. ad Tit. C. de Interdict.* *HEINECC. in Element. Jur. Civil. secundum Ord. Pandect. L. I. T. XIV. §. 215.* Equidem Clariss. *Eberhard OTTO in notis ad Instit. L. IV. Tit. XV. pr.* dissentire videtur a Cujacio, dum inter rem possessionis apertam & dubiam distinguit, & in illa effatum suum manu militari executioni dedisse, in hac vero, quæ altioris erat indaginis, iudicem pedaneum, coram quo causa, jure ordinario, litigaretur, addixisse Prætorum statuit. Pro se allegat *QVINTILIAN. L. VII. Inst. c. 5.* & maxime ex *FRONTIN. de limitibus agrorum* verba: *de possessione controversia & de qua ad interdictum hoc est jure ordinario litigatur.* Imo ipsum Cujacium in *L. V. Obs. 17.* a priore sua recessisse opinione & sibi assentire contendit. Verum ipsa loci allegati inspiciens verba: Cujacium a se non dissentire facile dignoscet. Hic enim verbis Frontini ante laudatis hæc addit: *Et Spartianus in Percennio de Imperio cum Severo Julianum egisse ex interdicto uti possidetis, ut jure scilicet ordinario ad Principatum pervenisse videretur.* Ecquis autem illa aliter explicet, quam quod Julianus via interdicti jus, quod in Principatu se habere prætendebat, deducere intendisset. Alias enim ad principatus possessionem pervenisset non ad ipsum Principatum. Ipsa Frontini verba quoque

que non alium largiuntur sensum, quam, quod possessionis controversiam ad interdictum redditum, sive post agendi potestatem obtentam *L. 4. ff. de vi & vi armat. L. ult. ff. uti possidet. L. 1. ff. de Salvian. Interd. jure ordinario de proprietate contendatur.* Vnde nec vi, nec clam, nec precario, in possessione constitutus interdictum postulans, hoc a Prætoris interposito, pro possessore reputabatur, *SIGON. de Antiquo Jur. pop. Rom. T. II. p. 437.* & sic finito possessorio ad domini jura deducenda migrabatur, actorisque non minus, quam rei, partes hoc modo certæ efficiebantur. Ad rem facit quod *Carolus BRETUS de Ord. antiquo Judic. Civil. apud. Alb. Henr. de SALENGRE in novo Thesaur. Antiqu. Rom. Tom. II. p. 1076. lit. D. E.* tradit: de actione privata cognoscebat Prætor, inquiring, ut, si esset hujusmodi, ut de jure potius, quam de facto quærendum esset, ad Centum Viros suum velut consilium remitteret, sin de facto quærendum esset, Judices daret, alioquin, si nihil esset, cur de jure aut de facto esset quærendum, Prætor ipse decreverum interponeret. Vnde, ubi de qualitate possessionis non disceptabatur, formula consueta adhibita, possessor statim a Prætoris declarabatur.

V.

**V**t autem de Vindiciis eo accuratius constet, illas nunc, secundum suum proprium significatum & virtutem, exponi par erit. Vindiciæ dicebantur non minus in possessorio, quam petitorio. *Diss. GAIL. L. 1. Obs. 5. n. 4.* addatur *BVDÆVS in L. ult. ff. d. O. J. p. 31. seq.*

Vbi

Vbi itaque unus possidebat, ille contra vindicabat Dominum (quæ vox abusive sic usurpari solebat & potiore modo notabat) se esse possessorem contendens. Vindicata re uni addicta, ille tamdiu vindiciam, quæ etiam res vindicanda dicebatur, *FESTVS verb. vindicia* five rem afferam tenebat, quam contradictor, ubi post dilationem iudicalem motamque litem alterum superasset, & secundum se decretum pronuntiari obtinuisset, recurrebat. Unde de, durante possessione, non deterioranda re addicta satis dabatur *ASCON. in 3. VERR. verb. satis dat, nihil se deterius in possessione facturum, de qua iuratum est. Confer. L. 12. Tab. 31. d. jur. priv.* Exemplum iniqui in possessorio decreti ab Appio secundum Claudium in præjudicium Virginis filia puellæ interpositi recenset *LIVIVS L. 3. C. 45.* Posito itaque nunc, litigiosa redditam fuisse rem, de proprietate judicare non licebat, ante, quam, quis interea temporis, atque jure de proprietate ageretur, possessor maneret, determinaretur. *L. 35. ff. de acquir. poss.* Hoc modo, quod interdicto quærebatur, actor a reo, illo discernebatur, & possessor ob meliorem suam conditionem *L. 128. ff. d. R. 7.* in qua, non editæ actionis, sed *Litis contestatæ* tempore, scilicet, ubi Prætor litigatores audiverat, *L. 1. C. de Litis contest.* deprehendebatur, cum præter possidendi jus, aut Dominium nulla toleraretur probatio *L. 1. C. quor. bon. in sua, reddito interdicto, ne vis ei, qui possidet, fiat, confirmabatur possessione. Conf. PAVLVS L. 5. Sent. tit. 6. pr.* Ut autem quis annuam probaret possessionem, præcisè non requirebatur, maxima

xima quoque anni pars sufficebat, nec duo negligebantur menses, si modo colligator, pauciore tempore, aut nullo, fuerit in possessione. *L. 156. ff. d. v. s.* Interim vis vel clandestina præcarione obtenta possessio possessori neutrquam proficiebat, quandoquidem eo ipso illius arguebatur vitium. *L. 1. §. 3. ff. quod vi aut clam.* Postquam autem tali civili in causa *jus dixerat* Prætor, quod sui erat muneris, ubi de proprietate litigabatur, dati ab ipso Judices in causa cognoscebant & *judicabant*, quod rursus horum erat officium, conf. PITISC. in *Lexic. Antiqu. Rom. voc. judicare.* An, ubi de rei soli possessione disceptabatur, possessorem inter & turbatorem congrue interdictum *uti possidetis* tributum sit, verbis ad plures non unum, qui in possessione tamen solus manebat; directis hic loci multis perpendere discutereque vix expedit. Id interim certum est, vocem Rubri tituli Pand. *L. 43. T. 17. possidetis* si divides, & *possidet is* legas, veterum scribarum injuriam reprehendam modo esse intelliges, ipse autem scrupulus promte cessabit. Sin absque injuria literarum sejunctionem verbique mutilationem aut corruptionem fieri non posse statueris, attendas modo, ex Edicto desumptum esse Interdictum, quod VLPPIANVS in *L. 1. ff. uti possidetis* prodit. Jam vero Edicta, tanquam ad populum in univèrsum directa, in plurali maximam partem concipiebantur, unde & in illo hæc: *uti illas aedes alter ab altero possideris*, leguntur ita concepta verba.

B

VI.

## VI.

Turbationem quod attinet, illa non male per actum exprimitur, qua non minus libera, quam quieta possessio in suo æquali ab altero impeditur exercitio. Dum verba æqualis exercitii usurpo, id maxime intendo, ut minimam quoque turbam creantem pro turbatore agnoscam. Vnde & extra iudicii locum per diffamationis speciem attentatam turbationem includo. Cum enim ex interdictis, in possessorum favorem propositis, sequi debeat publica privataque quies, illa non potest non tranquilla haudquaquam videri, ubi adest metuenda realis turbatio, verbis jam præeuntibus minisve ad exitum paratis, a *L. 11. ff. de vi & vi armat.* Notabilis mox dicta vel ideo est lex & pro nobis maxime faciens, quod vim vel proprie, intuitu ejus, explicat, qui actu illam adhibet, (uti *NEPOS 4. 4. 3.* & *CICERO Catil. 1. 8.* usurpat) vel improprie sumi, eosque notare, qui quacunq; ratione inquietum possessorem reddunt, statuit. Verba legis ipsa hæc sunt: *Vim facit, qui non sinit possidentem eo, quod possidebit uti arbitrio suo, sive inserendo, sive fodiendo, sive arando, sive quid edificando, sive quid omnino faciendo, per quod liberam possessionem adversarii non relinquit.* Cum autem interdicto uti possidetis gaudeat maxime ille, qui nec vi, nec clam, nec precario, est in possessione, horum modorum possessionis explicationem, uti ipsæ subministrant leges, videamus. Sic *L. 6. §. 1. L. 3. §. 9. ff. de acquir. vel amitt. poss.* clandestinum possessorem agnoscit, qui, vero



vero ad nundinas profecto possessionem occupavit, cum civilem retinuisse intelligatur absens, quandoquidem animo possessionem derelinquendi non discesserat. *L. 8. ff. de acquir. vel retin. poss.* Violentum autem turbatorem laudata jam *L. 11. ff. de vi et vi armat.* depingit. Precario, qui se possessionem obrinuisse agnoscit, concedentis revocationi, ex possessione defuncto fundamento, se invalide opponit. *L. 13. §. 1. ff. d. publ. in rem act.* *L. 10. §. 1. ff. d. acqu. vel am. poss.* *L. 1. pr. §. 1, 2. L. 12. ff. de precario.*

VII.

**M**odis, quo peragitur turbatio, varius esse potest. Porissimum autem circumstantiarum intuitu, observari solitarum, in verbalem & realem dispescitur. De reali sive cum, sive sine violentia, fiat, hic non agimus. Alias non minus, qui injustam impetrat sequestrationem *C. I. X. d. sequestr. possess.* quam, qui alium dejicit, aut absentis civilis possessoris occupatam possessionem restituere renuit, nec admittit redeuntem, violentus audit. *L. 6. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. poss. verb. si revertentem dominum non admiserit, vi magis intelligi possidere non clam.* Eo usurpatio quodammodo refertur, v.g. quando furculum defringens adversarii possessionem hac ratione interrumpit, quo illud *CICERONIS de Orat. III. 128.* respicit; ubi modo instituendi possessionem divisionem accenset, non quæ jure aut judicio fit, ut denique recuperare possessionem, sed, ut ex jure civili, furculo defringendo

usurpare videatur. Solebant quippe Jureconfulti olim forensibus suis concertationibus legum ac morum momentis invicem collatis, novam legum prolationem efformare. Verum a violenta differebat possessione usurpatio. Siquidem illa per vindicias a Prætorè decretas GELLIVS L. XX. 10 sive jus scilicet, ex lege, allatis vindiciis ex fundo in jus aut per mores juri contradistinctos recipiebatur, *conf. §. 5. supra. SIGON. de Antiqu. Jur. pop. Rom. Tom. 2. libr. de judic. 1. c. 21. p. 461. CICERO pro A. Cæcina Orat. c. XI. & abductione litigatorum in ipsum fundum festucaria vis exercebatur RAEVARD. in L. XII. Tabul. Libr. sing. de prisco jure vindic. Cap. 6. illaque veræ opposita pro simulata reputabatur vi, dum v. g. furculum defringendo vel civiliter libelli judici facta oblatione infecutaque in jus vocatione ac litis contestatione L. pen. & ult. C. d. annal. except. L. 10. C. de acquir. poss. L. 2. ff. d. Usurpat. & usucap. peragebatur. GELLIVS L. III. cap. 3.*

## VIII.

**F**a, de qua nostra in dissertatione agemus, turbatio verbalis est. Cum vero verba injuriam inferentia non minus dici L. 15. §. 4. ii. ff. de injur. & fam. libell. quam scribi queant, soleantque n. l. 5. §. 9. L. 15. §. 27. L. 37. ff. eod. etiam turbatio tanquam illegitima possessionis inquietatio non inconuenienter eadem ratione dispescetur. Sive iraque animo alterum quietum possessorem turbandi pronuncientur

tur verba, sive in scriptis talia adhibeantur, commissa dicitur turbatio. Quemadmodum autem ignorans contumeliam facere non judicatur, sic citra intentionem alterius possessionem inquietans verus non meretur dici turbator. Pone novum fundi possessorem, aut in antecessoris munus sive Ecclesiasticum, sive seculare surrogatum finium limitumque agrorum aut similis, officii intuitu fruendi exercendique in fundo juris ignarum vicino possessori injuriam facere, quæcunque etiam vel pœna vel damni reparatio lege definita prostat, illa jure exulabit, modo ipse lucrum non fecerit turbator, quod ipsi alias exitorquendum veniret, ne locupletior alterius cum detrimento evadat. Interim possessor in sua possessione defendetur. Itaque de facta sive verbis sive scriptis turbatione agemus, ea autem quamdiu nondum enunciata aut in scriptura declarata pro ea, quæ vere facta, non agnoscetur. Potius nudæ cogitationi non ab similibus reputabitur, cujus nulla datur pœna, aut coercitio. Vti minæ quoque nondum proditæ, sed celatæ & occultatæ vindicationem ob injuriam, quæ nondum facta, non merentur.

## IX.

Cum tam in judicio, quam extra illud, turbatio factis fieri queat, *c. 1. X. d. sequestr. poss. j. d. l. 6. §. 1. ff. d. acquir. vel amitt. possess.* eadem ratione verbis scriptis illa quoque committeretur. Ponamus enim, possessionem quem sibi asserere, aut compossessionem affectare, Judicemque de ea concedenda sollicitare lite-

ris, æque turbasse possessorem censebitur *L. 1. §. 3. ff. uti possid.* atque si alterum dejicere ausus fuisset. Ut itaque paulo propius ad nostri thematis discussionem accedamus, casum formabimus, ubi verbis aut scriptis turbatio contigisse dicitur. Fac nimirum Vasallum in quiera feudi possessione per aliquot jam fuisse annos, eandemque nunc verbis vel literis supplicibus tentari ab aliquo jus successione in feudo competens urgente nec minus a Domino directo possessionem aut compositionem per Decretum indulgentiam quærente, Num possessor hac ratione turbatus intelligetur? & actionem propugnabo, quæ in adversum afferri possent, una expediturus.

## X.

Qui negantem tumentur opinionem, se maxime in eo fundant, quod, ubi facto opus est, verba non sufficiant *L. 13. §. 8. ff. d. act. emt. vend.* Vnde WESENBECIVS *ad Dig. Tit. uti possidet.* actionem ex hoc interdicto tum dandam esse asserit, quando re ipsa turbatio fit, non tantum verbis, adjecta ratione, quod facti atrocitas requiratur, quæ ex verbis non appareret, & ubi minæ de turbando factæ sint, injuriarum potius actio quam nostra locum habeat. Non videri, instant, cum ipso alii in suo jure in re, scilicet possessione turbatum, qui non actu turbas sentiat & experiatur illam inquietatam. Ipsam quoque possessionem non verbis, sed factis seu corpore acquiri, unde etiam eadem reapse modo turbari possent. Ex natura occupationis, tanquam modi

di ad acquirendam possessionem constituti, quoque deducunt, quod illam realiter fieri oporteat, ergo eandem quoque collabefactari non nisi possessionis ingressione. Et eundem in modum pronunciavit Facult. Jurid. Lipsiens. in causa **Christ. Friedrich von Trebra und Consorten contra Wolff Christoph von Trebra und Consorten**/ verbis hisce: daß die Klage angebrachter maassen in Erwegung/ daß die von Beklagten nach erhaltenen gnädigsten Rescript gesuchte Possess und Compossess nicht pro facto turbativo zu achten/ nicht statt hat/ und ist Kläger Beklagten die Unkosten dieses Termins zu erstatten schuldig.

XI.

Sunt quoque alii, qui neque negantem, neque ajenstem sententiam, simpliciter approbant. Sic distinguit, an turbatio animo vexandi, utrum animo possessionem sibi asserendi, fuerit suscepta? & illo casu injuriarum actionem, hoc actionem in factum ex interdicto largitur *ill. LYNCKER in Anal. ad Inst. L. 4. t. 15. §. 6.* Paulo aliter procedit *MENOCHIVS de retin. possess. Re-med. III. n. 292.* qui videndum esse, num per diffamationem possessoris possessio impediatur, nec ne, & impedimento per turbationem exorto interdictum locum habere, non existente cessare arbitratur. conf. *WESENBEC. ad nost. rit. n. 5. CARPZOV. L. 1. Resp. 31. n. 16. VOET. ad ff. b. r. §. 3. p. 849.* qui omnes verbis turbationem non fieri statuunt. Alios mitto. Nunc meam probabo sententiam.

XII.

XII.

Soli sibi possessionem asserens turbare in *L. 1. §. 3. & L. 3. §. 4. ff. uti possidetis. §. 4. I. d. Interd.* dicitur & judicatur nostro uti possidetis Interdicto. Et qui rem depositam reposcenti illam reuiv possessionem subtraxisse putatur. *L. 20. l. 47. ff. d. acquir. vel amitt. possess.* Imo si modo quid fiat, per quod libera non relinquatur possessio, aut, si jure & re sua uti non possit absque contradictione, vis commissa audit, *L. 11. ff. de vi & vi armat.* quidni multo fortius turbatio, ubi possessio verbis vel scriptis dubia redditur. Non male rem explicat GLOSSA in *L. 13. ff. quod metus causa*, quod turbet alterum, qui ipsius possessionis jus obscurum facit. Cum qua coincidit *L. 3. §. 2. ff. uti possid.* quæ prohibentem me mea uti possessione, possessionis controversiam facere sancit. Certe verbis aut in scriptis disputata suo possessori possessio revera aliquid facti continet, quod ipse WESENBEC. *d. l. in medio n. 5. & MENOCH. d. ret. poss. Rem. III. n. 488.* non diffitetur. Et in jure parum interest, num verbis vel factis quis se declaret, *L. 22. ff. d. acquir. hered. L. 32. ff. d. legibus L. 8. C. d. collat. bonor.* cum mentem ac intentionem non raro verba melius, quam facta, prodant. Is quoque, qui modo negat in judicio, adversarium possidere, nostro poterit conveniri interdicto, *L. 25. ff. d. Rei Vind.* & ipsi etiam mandatores eodem tenentur. *L. 11. §. 6. ff. quod vi aut clam.* Neque tamen cum BARTOLO ad *L. 1. §. 2. ff. uti possid. n. 2. facio*, qui, ubi ex turbatione verbali sequatur operariorum penuria

penuria Interdictum admittit. Nam cum metuen-  
da sit deturbatio ab eo, qui sibi in possessione jus  
asserit, etiam securitatem possessori præstari, nec i-  
psum eventum expectare convenit. Apprime no-  
stram tuerur, confirmat ac ab argumentis contrariis  
liberat MINDAN. *d. Interd. uti possideris T. 7. cap. 2.*  
*n. 21. seq. POST. Tract. de manutenendo Obs. 41. BLAR-*  
*RER ad L. Diffamari c. 1. n. 5. STRAUS. Dissert. de*  
*turbatione possessionis tb. 15. seq. Illustr. BERGERVS in*  
*Elect. Proc. possess. p. 130.*

XIII.

Nostro quoque stabiliendo inservit asserto, quod  
novi operis nunciatio æque realiter atque ver-  
baliter fieri queat. Quemadmodum enim non mi-  
nus publice, quam privatim illa peragitur *L. 5. §. 10.*  
*L. 16. ff. d. novi op. nunciat.* sic verbis prohiberi posse  
novum extruentem opus, apparet ex *L. 20. §. 1. ff. quod*  
*vi aut clam j. d. l. 5. §. 1. ff. d. novi op. nunciat.*  
Imo ipsum vocabulum nunciationis & prohibitionis  
innuit, quod ore maxime expediatur, id quod & ex  
jactu lapilli colligitur, ubi non solum factum jacentis  
sufficiebat, & ritum sive vim quandam festucariam &  
civilem projectionis lapilli in novum opus conficiebat,  
sed verba legitima: *Denuncio Tibi, ne quid in illo loco no-*  
*vi operis, me invito, facias,* pronuncianda erant. *CVJAC.*  
*ad L. 81. ff. d. Verb. signif. & in Paratitl. ad Tit. d. Nov.*  
*Op. nunciat.* Accedit, quod nunciationi privatæ non  
minus, quam publicæ ille attribuitur *in L. 1. pr. §. 2. 7.*  
*f. d.*

*ff. d. novi op. nunciat.* effectus, ut, si jure, si injuria opus fieret, ab ædificando non desistens indistincte post prohibitionem ædificatum tolleretur. Quandoquidem ipsi in continenti omittere opus & remissionem si solvi novi nunciationem operis tollique illam prohibitionem, quod remittere dicebatur, incuberat. Unde non male conjicitur, si verbis modo peracta nunciatio alterius jus & factum impedit & ita stringit, ut operis, quod paratur, progressus eo ipso omnino turbetur, quidni possessionem alterius verbis aut scriptis impetens, illius turbator agnoscat?

## XIV.

Porro, quis nescit, protestatio quantæ in jure sit efficaciam? Hæc tamen, tam dici, quam scribi afolet. Illa non numeratæ pecuniæ querela perpetuatur. Nam intra biennium denunciationibus scripto missis non factam pecuniæ numerationem manifestare ei, qui eam numerasse vel alias res dedisse instrumento scriptus est, & ita tempus biennale statutum interrumpere permittit *L. 14. §. 4. C. d. non num. pec.* Habet scilicet illa vim interpretationis, qua justitiam postulamus, officiumque Judicis invocamus, *L. 5. C. d. ingenuis manum.* imo privilegii, quod ex biennii lapsu emergit Creditori, usum tollit cursumque temporis suspendit. Excitatur itaque, imo obligatur jura sua ruiturus remove protestationem, & jure ideo experiri contra protestantem. Eadem, ut videtur, ejus est conditio, cujus possessio in scriptis turbida redditur, aut verbis



verbis laceſſitur. Imo in mala fide verſari videri poſſet, qui patitur alium ſibi eam, quam tenet poſſeſſionem, aſſerere, et vel præcario vel injuſte in poſſeſſione is eſſe, qui ſuam æque aſſerenti acquieſcit, nec audet ſibi illam vindicare & adverſario contradicere, legitimumque ſuam docere poſſeſſionem. Imo, quæ ſubinde naſcitur ex poſſeſſione uſucapio & præſcriptio, *L. un. C. d. uſucap. tranſf. l. 8. pr. §. 1. C. d. præſcript. 30. vel 40. ann.* ob infirmam ac incertam redditam opinionem vacillabit. Igitur verbis æque ac ſcriptis poſſeſſorem turbari poſſe, firma ſtat theſis.

XV.

Ut præciſe in Judicio fuerint verba enunciata, vel in ſcriptis Judici oblatis declarata poſſeſſionis prætenſio, non requirimus ad fundandam actionem. Nam ſufficit aliquem eam extrajudicialiter quoque pro ſua venditare & ſic illam appetere. Hinc GOMEZ, in *L. tauri 45. n. 170.* HILLIGER ad *Donell. L. 15. c. 32. lit. K.* recte dicit, poſtquam de judiciali turbatione egit: idem eſt in verbali inquietatione extra judicium, quoties ſcilicet per diffamationem poſſeſſio actoris turbatur & liber rei ſuæ uſus impeditur. Ecquis autem diffamationem quoque extrajudicialiter, imo prope frequentius, quam judicialiter, & verbis quidem non minus, quam ſcriptis committi, neſcit? Interim ex hac diffamato ſtatim agenti jus naſcitur. Pater abhinc ejus, cujus diffamatur, ſive experitur, ut competens in jure, hoc eſt apud Judicem, poſſeſſio, multo magis fun-

fundatam censendam esse in factum actionem ex nostro Interdicto, quandoquidem talis quietæ possessionis continuationem interpellare satagit, quod ipsam involvit interruptionem. *L. 14. ff. d. Servitut. L. 31. §. ult. ff. d. servitut. urban. L. pen. L. 2. §. ult. ff. pro emt.* Hæc vero non minus civiliter, quam naturaliter exercetur, hancque ex Cajo explicat CALVIN. in *Lexic. jur. verb. interruptio*, quod sit, quando quis de possessione vel dejicitur, vel alicui res mobilis eripitur, vel cum de facto possessio alicujus interpellatur. Allatis commotus noster Ordo rationibus in causa supra laudata sententiam dictam ad leu-terationem interpositam a Regimine Serenissimi Ducis Weissenfelsensis Mens. Octobr. M D C C X X I X. reformare non dubitavit verbis ex reliquis huc pertinentibus: Diweil Kläger sich in der Posses des libellirten Ritter: Gutheß so wohl/ daß Beflagter um die Einsetzung in die Composses bey Ihrer Hoch: Fürstlichen Durchlauchtigkeit angesuchet/ darzu ein gnädigstes Rescript einseitig extrahiret/ und daß solches zur expedition gebracht werden möge/ angesuchet/ fundiret/ letzteres aber allerdings auf eine turbationem possessionis hinaus laufft/ immas- sen bekanter Rechte nach nicht bloß factis, sondern auch verbis turbatio possessionis geschehen mag/ und Kläger biß Beflagter würcklich in die Posses gesetzt wird/ zu warten nicht verbunden/ sondern durch die angestellte Klage seine Posses zu confer- viren wohl befugt &c.

## XVI.

Sed expendendum quoque, quod aliquibus ita apparet, an actio ex L. diffamari ob turbationem verbalem scriptamque pure locum habeat, utrum cum nostra in factum queat cumulari. HILLIGER *ad Donell. c. 1.* ubi possessio & fructus rei non impediuntur, quod fieri declarat, ubi Coloni, Operarii, ac Inquilini per factam verbalem turbationem non deterrentur, neutiquam ex Interdicto nostro actionem, sed ex L. diffamari agendum esse statuit, ac pro se allegat MENOCHIVM *L. 6. presunt. 69.* ubi numero XXVI. patroni legi possint. Eidem opinioni accedit CARPZOVIVS *P. 2. C. 7. def. 13.* & statim *n. 1.* ob verbis factam turbationem denegat. Verum enim vero cum intentio ex L. diffamari provocantis sit, vel ut instituat, quæ ad possessionem assertam probandam tendit actio, vel perpetuum diffamanti ut imponatur silentium, quis, quæso, suafor possessori tale quid erit suscipiendi? Celer, quæ Interdicto paratur possessionis defensio incommoda, processus ex L. diffamari longe vincit illique meretur præferri. Emolumenta Interdicti, cessatio a turbatione, ulterioris omisio, securitatis ergo præstanda satisfactio, illatorumque damnorum fructuumque perceptorum restitutio sunt. Quis illa cum perpetuo silentio compensabit? Nec est, quod quis obijciat actori, post finem remedii ex L. diffamari etiam illa obtinere quærereque licere. Ergo duplici via & spatiofo sumtuosoque processu sibi conciliare debet, quod una rectaque via facilius parare valet. Eodem mihi referendum consilium videtur, quo illud pertinet, qui diffamatae de stupro aut simili delicto primo actionem L. diffamari commendamus, ut, illa ad finem deducta, ob injuriam experiatur. Nec me dimovet, quod agens ex L. diffamari in se rei partes transferat, has vero esse actoris favorabiliores. *L. 125. ff. d. R. I. L. 17. C. d. probat.* Nam eadem ratione expectare possit turbantem agentem, & æque reus fiet. Addo, quod actio ex L. diffamari in *L. 5. C. de ingenuis manumissis* radicata ob factum illicitum, delictum: puta criminis aut debiti Civis

vilis alteri imputatum potissimum instituat, & sic bonum habeat finem. Si contendas, possessori turbato pariter non denegari posse ob insultum verbis scriptis peractum, largior quidem istum actorem vindicare posse, sed possessionis suae quietem cum reliquis Lege datis provisionibus ipsum neququam obtenturum.

XVII.

**D**enego sic finem, qui Interdicto uti possidetis constitutus est, quaeri illa actione. Sed nunc, paucis tamen, an conjungi illud remedium cum in factum actione queat, disquiram. Nemo cum CARPZOVIO *d. l. n. 5.* cumulationem ferendam esse, licet de usu contrario testari audeat *ESBACH ad eund.* Cum enim ex interdicto agens se possessorem dicat, & turbatoris similem possessionem inficietur, qui per actionem ex L. diffamari adjectam ipsi dare facultatem poterit suam deducendi possessionem assertam vel potius jus? Plura eaque utique ponderosa legi possunt apud HARTM. PISTOR. *Obs. 94.* ad quem Lectorem remitto.

XVIII.

**A**n tequam finiamus scribenda, placet, quaestionem tangere, an verbis vel scriptis turbatus suo Autori litem queat denunciare, ita quidem, ut contra Dominum Directum, qui possessorem investivit ad assistendum, agi posset. Vbi titulo oneroso possessori feudum cessit, tam textus *II. f. 25.* quam Civiles leges *L. II. §. 2. ff. d. act. emt. l. 28. §. 7. pr. ff. d. evict.* concedenti evictionis praestationem injungunt. Contra, ubi donatum vel alias ex gratia feudum datum, evictio jure non exigetur, *L. 2. C. d. evict. l. 18. ult. ff. d. donat.* cum in rei possessae impugnatione nihil lucri patrimonio suo excedere deprehendatur Vasallus. STRYK. *us. mod. Pand. L. 21. §. 2. §. 4.* Imo turbatoris possessorem inquietandi tertii factum ex parte investientis cum venditione feudi Vasallo facta non habet nexum, maxime in relatione ad nostram in factum actionem. Haec enim processu summarissimo tractatur negotiorumque, quod inter turbatorem mere & possessorem intercedit, respicit. Quae & ratio est, cur in genere in illo litis denunciatis etiam suscepta non attendatur. D. GRIBNER *Princ. proc. judiciar. L. 1. c. 7. §. 2. §. 2.* Limitarem tamen dicta in casu, quo Dominus Directus Vasallo fundum non modo vendiderit, sed possessionem solitariam nulliusque insultui obnoxiam asseruerit, Tum enim, ex pacto, ad interesse Vasallo tenebitur, & hinc litem mox ipsi denunciare huic permittetur.

TANTVM.

WITTENBERG, Diss, 1730

47

ULB Halle 3  
002 403 986



sb.

V018





DE 927. num. 38. A 90. 27.

10  
**POSSESSIONIS TVR-  
BATIONE VERBIS VEL  
SCRIPTIS FACTA**

PRAESIDE

1730

239

**GODOFREDO LVDOVICO  
MENCKEN, JCTO**

PANDECTAR. PROFESS. PVBL. CVRIAE PROVIN-  
CIALIS SCABINATVS, CONSIST. ECCLESIASTICI  
ET FACVLT. JVRID. NEC NON JVDICII DVICALIS  
IN MARCHIONATV LVSAT. INFERIORIS  
ASSESSORE ETC.

2  
*IN ACADEMIA VITEMBERGENSI*  
**PRO LICENTIA**

**SVM MOS IN VTROQVE JVRE HONORES  
AC PRIVILEGIA CAPESSENDI**

**D. X. CAL. OCTOBR. M DCC XXX.**

H. L. Q. G.

DISPV TABIT

**CHRISTIANVS GOTTLIEB SPENGLER**  
BVDISSA - LVSAT.

**VITEMBERGÆ, EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.**



4